



## **Quadragesimale Ambrosianvm Dvplex, In Dvos Tomos Divisum**

In Hoc Opere Per Singulos Quadragesimæ dies habetur bina Concio cum Morali, iuxta Euangelia, quæ in Ecclesia Mediolanensi leguntur. Cvm Indicibus, Sacræ Scripturæ, Et Rerum notabilium, cum Summa Concionum & Thematum Euangeliorum. Accomodantvr Hæe Conciones Ad Vsvm Romanum pro Quadragesima & ...

Tomvs Primvs, Continens Conciones A Dominica Prima, Quæ Dicitvr In Capite, vsque ad quartam exclusiue, quæ dicitur de Caeco

**Bellintani, Mattia**

**Coloniae Agrippinae, 1626**

Reverendissimo Ac Illvstrissimo Domino D. Antonio Barbarino Capvccino,  
S. R. E. Cardinali, Necnon Urbani VIII. Pont. Max. germano Fratri. FF.  
Capvccini S. P. D.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55873](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55873)



REVERENDISSIMO AC ILLUSTRIS-  
SIMO DOMINO

D. ANTONIO  
BARBARINO  
CAPVCCINO, S. R. E.  
CARDINALI, NECNON  
VRBANI VIII. PONT. MAX.  
germano Fratri.

FF. CAPVCCINI S. P. D.



VM huius libri natalem diem, quo primùm  
lucem aspicit, REVERENDISSIME ET ILLU-  
STRIS PRINCEPS, sublimioribus re-  
gni Dei ab æterno præcitus, nunc recens na-  
tus honoribus, susceperis; tuæque se comit-  
tentem clientelæ benigno vultu suspexeris,  
futurum spero in omni mortalium memoria  
immortalem. *Victurus genium debet habere li-*

*ber*, inquit Poeta. Hic ingenium habet, & nomen satis bonum  
ab auctore vitæ suæ. Genium à te, & faustum omen habeat, neces-  
se est. Romana res est, Romanæ quippe Ecclesiasticæ Monarchiæ  
lumen, vnde & Romanum virum ex præcipua non Urbis tantum,  
sed totius Orbis nobilitate Patronum adoptat, vt quem sua illu-  
strat origo, illustriorem reddat adoptio.

Te Religio nostra, ILLUSTRIS PRINCEPS, paulò  
antè alumnum suum amabilis mater, quem suis genuit visceri-  
bus,

E P I S T O L A

bus, lactavit vberibus, fouit amplexibus: nunc autem alumna (quod felix, faustum, fortunatumque sit) Parentem & Tutorem, suum in prosperitate gaudium, in aduersitate solatium vocat, inuocat. Te inquam, ILLUSTRISSE PRINCEPS, illa quibus muneribus donaret in hoc natali tuo, quo suis raperis vberibus, nutritus cilicio, natus imperio, diu harebat anxia. Repetebat præterita secula, præsentia scrutabatur, futura præsentiebat; in eoque negotio laborabat non modicum: Cum ecce munerum penè infinita, vno quasi agmine, certatim sese offerunt pedibus vestris in humile, ac deuotum obsequii monumentum appendenda; ita vt iam difficilior sit optio, quam laboriosa fuerit inuentio; hæc angebat, illa excruciat: quam enim penuria peperit copiam, hæc maiorem parit inopiam. Quid faciat? Quo se vertat? res vocatur ad sortem, fors autem fausto nomine, fœliciori omine, cecidit super MATTHIAM. MATTHIAS, Vestræ Illustrissimæ Dominationi (duplici decore, vitæ scilicet, & doctrinæ promicans) in perpetuum gratitudinis auitæ sacramentum dicatur, dedicatur.

MATTHIAS faustum nomen, fœlix omen. Nomen est donum Dei, ex מַתָּיָהוּ & יְהוָה. Diuinum plane est hoc donum: omen verò Vestræ Illustrissimæ Dominationi in purpura, insignibusq; Pontificiis prosperum & incolumem portendit euentum. Nomen nostri Auctoris tibi coniunctissimi: omen autem ex hoc opere, ipsiusque Auctoris commendatione exponerem, ni latior esset hic campus, quam vt possit hoc breui orationis cursu iustrari. Dicam tamen parua de magnis, pauca de plurimis, explorata aliis, Vestræ Illustrissimæ Dominationi, mihi que probata, qui loquor. *Verus testis est, qui laudat expertus.*

Senescentis seculi hoc primæuum decus R. P. MATTHIAS BELLINTANVS (quem maturum sibi Deus cælo vendicauit, maximo nostro, & Christianæ pietatis dispendio) vir erat tot, tantarumque virtutum splendoribus illustratus, vt acumine meditationis Aquilam, dulcedine prædicationis Cygnum, operisque constantia Leonem præ se ferret: sicque in cognitione, & amore Dei discipulum quem diligebat Iesus, in doctrina S. Paulum, & in feruore operis S. Petrum imitando, in reliquo tandem totius vitæ statu

DEDICATORIA.

tæ statu Apostolicis hærentem vestigiis, in religione Apostolicæ vitæ laude præcellenti, Apostolum fuisse luce clarius elucescit. Has in ipso virtutes sepulchri horror veneratur, Deus approbat, vniuersæq; Orbis plagæ mirantur. Has Cerebrum, Lingua, & Pollex, tot annis tumuli cineribus inuiolata, & adhuc hodie integra reliquo corporis resoluta, non oratione, sed ratione, omni gladio ancipiti penetrabiliori, non fucis rhetorum lenociniis, sed vniuersæ veræ pietatis argumentis suadent. Hic spiritualis Aquila in rerum diuinarum contemplatione diuinos diuini Solis radios ita fixis, & amorosis mentis obtutibus suspiciebat, vt tantæ lucis, tantique ardoris virtute totus solueretur in lachrymas.

Hic cœlestis Cygnus tanta lenitate Dei verbum animabus peccatorum insinuabat, vt ex Saulis faceret Paulos, ex peccatricibus pœnitentes, ereptasq; inferis, cœlo restitueret coronandas: ex cuius morte hoc restat pignus. (hoc **QVADRAGESIMALE** intellige) Vestræ Illustrissimæ Dominationi deuouendum. Hic Leo Leonis de Tribu Iuda gratissimus foetus, quem non ex vngue tantum, sed ex integro, incorruptoque Pollice discernere licet, sic forti, constantique animo in pace hostes aggrediebatur, in bello ita euincebat, vt sicut bella opinionem, sic illi arma honorem, Angelis spectatoribus gaudium, & nobis virtutem dederint triumphandi; nouerat enim non amare modò, sed & amare bellatores, qui sapius bella peregerat. Hic qui Aquilinos oculos in Cerebro, cœlestem Cygni vocem in Lingua, Leonisq; fortitudinem in Pollice immortalitati reseruauit, reseruit secreta Dei calamo, & exemplo: Quod enim à Deo per contemplationem hauriebat, prius opere completum, prædicatione effundebat. Qui non tantum sibi, sed & toti mundo sufficiens, viuus saluti animarum vacabat incredibilem charitate, & diligentia: nunc mortuus, mirabiliter sanitati corporum per centena miracula post obitum patrata inuigilat, quibus corpora saluat & animas. Vt sicut tria sunt, quæ in cœlo dant testimonium, Pater, Verbum, & Spiritus: ita tribus è terra illis tribus testimoniũ reddat, Mente, Lingua, Pollice; Mente, Patri generanti per cognitionẽ; Lingua, Verbo genito; Pollice, Spiritui sancto dexteræ Dei digito rerum omnium opifici. Quæ omnia mirabili, & plusquã humano

## E P I S T O L A

artificio hoc Opere breui manu coarctat. Vidit aliquando Propheta euangelicum fluuium aquæ viuæ splendidum, tanquam crystallum, procedentem de sede Dei, & Agni, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ. Quæ sicut huic libro optime congruunt, ita ipse his omnibus aptissime respondet. Est enim fluuius, ex cuius lectione haurietur gratia, ex cuius gustu delibabitur gloria, ex cuius doctrina vera scientia, veraque virtus addiscitur. Cum fluuium audis, huius libri intellige profunditatē, perennitatem, & copiam eloquentiæ, diuiniq; Spiritus impetum: in eo sunt aquæ voluptate & fecunditate viuæ, gratia scilicet & virtus intrinsecus recreandi, & reficiendi animum: splendidus est dignitate, crystallinus pulchritudine, soliditate, & perspicuitate omnium veritatum. Duas habet ripas, præsentem scilicet vitam, quam ordinatè instituit, & futuram, quam spectare, & expectare suadet: in vtraq; est lignum vitæ, quia in hac, quam degimus, vita meritum, & in patria præmium repromittit. Has aquas, hunc fluuium (studio, ac diligētia Fratris ipsius Auctoris ab annis quinquaginta in hoc Agro nostro seraphico succrescentis) in publicū profluentem, Vestræ Illustrissimæ Dominationi iampridem destinatum, vestrisq; meritis debitum, pleno totius Ordinis nostri affectu, vtraque manu, vt pauperculus Sinætas alteri Artaxerxi, consecramus. Aquas damus, non qualiscumq; fluuij, sed crystallini, in quo mores tuos effectos, expressamq; vitæ tuæ imaginem spectare poteris. Illic mentis tuæ maturitas, ingenij acumen, morum integritas, orationis feruor, pietas in Deum, iustitia ad proximum, temperantia ad teipsum, humilitas in prosperis, constantia in aduersis, benignitas & humanitas in omnes, vitæ in mortuo coloribus exprimentur.

Has omnes Virtutes licet satis admirari non possim: vna tamen mihi maximè arridet Benignitas, quæ peculiari nescio quo fulgoris radio in Vestra Illustrissima Dominatione ab ineunte ætate splendescere visa est. Quis enim tam miser vnquam, cui Benignitatis tuæ fontes non patuerint? tam derelictus, qui perditis suis omnibus subsidium à te, etiam in summa, qua viuebas apud nos, paupertatis laude, non inuenerit? Ad eam omnes currunt, volant, aduolant: humiles enim & caducæ plantæ proceras, ac stabiles se-

D E D I C A T O R I A.

biles sectantur arbores: *Fortuna minor Principem querit*, Benignitas hoc facit: hinc illa Barbari, nō babara, sed planè humana, & digna Illustrissimo Principe BARBARINO, sententia: *Regē armis, quàm regium animum munificentia vinci, minus flagitiosum.* Arma enim fortunæ sunt, munificentia virtutis; quæ tanta est, vt cum *primus in Orbe Deus fecit timor*, & amor auxit, munificentia commendarit. At ne quis totum hunc splendorem benignitati ascribat, comitem se adiungit humilitas germana foror, & germen virtutum, qui te curiæ ablatatum illecebris fecerat fratrem nostrum, eremoque pœnitentiæ & solitudine, opertum sacco, & cilicio, abdidit, vt te toto sola frueretur. At accusarentur secula, si talis latere potuisset humilitas. Quid? Poterat cœlum orbari altero luminari magno? Potuisset alterū Ecclesiæ decus latere? Nonne quod seraphicus Patriarcha noster S. Franciscus con crucifixus Christo crucifixo (implens in corpore suo, quæ desunt passionū Christi pro Ecclesia) contulit ad salutem animarum: Id ipsum, ILLUSTRISSE PRINCEPS, Vicario Christi germano fratris Pontifici Maximo superior ætate, dignitate proximus cōferre, onerique humeris angelicis formidando proprius supponere debuisti particeps oneris, vt honoris? Graue fuit è Paradiso solitudinis in curiam euocari, Vestre Illustrissimæ Dominationi graue, nobis gratum & vtile: & de fratre factus Parens, de socio Magister, sis nobis amore Parens, disciplina Magister: Nos tibi pietate filij, reuerentia discipuli, vtinam digni Parente, digni Magistro. Accipe si placet hoc nostræ erga te, PRINCEPS ILLUSTRISSE, gratitudinis, & benevolentia *μνημόσυνοι* hilari fronte, & quo datur, grato videlicet & candido animo, non par meritis pretiū, sed exiguum debiti pignus, maiore cum potestas erit compensatione soluendi. Interim pro vestra incolumitate & salute preces ad Deum Opt. Max. & seraphicum Patrem N. S.

Franciscum effundemus, Vale  
& diu viue,



SCRUTATORI DEI GRATISSIMO

Vixit in Religione Annos 58. Consecratus est  
annos 50 Cuius Cerebrum, lingua, et pal-  
lex, adhuc post 36. Annos sic corrupta  
ma rient.

In Cerebro Volucis Jovis inq; Superstite lingua  
Cygnae et in Digito noscitur esse Leo  
Mens elata Deo divinitus hausta loquendo  
Et talem in populos actio sancta tulit.